

LETTRE IX.

SOMMAIRE. Nouvelles rectifications à apporter au mémoire d'hydraulique. — Félicitations à l'occasion de la situation heureuse d'Euler à Berlin. — Regrets de ne pas pouvoir accepter l'appel qui lui a été également adressé par le gouvernement de Prusse. — Remercie Euler de la communication de ses recherches ultérieures sur les équations différentielles des ordres supérieurs.

Viro Celeberrimo atque Excellentissimo LEONHARDO
EULERO S. P. D. JCH. BERNOULLI.

Ignosce, quaeso, tardiuscule respondenti ad litteras Tuas Berolini datas d. 16. Sept. Tam gratae mihi sunt litterae Tuae quam quod maxime, nosti vero quae mihi sint senectutis incommoda, ut adeo non opus sit pluribus excusare meam in scribendo segnitiem; Etsi hanc praeteritam aetatem triverim solito mitioribus molestiis, quas alias pariunt corporis mei infirmitas et languor, tamen non desunt negotia quam plurima, quibus quotidie obruor ab incumbente onere rectoratus academici, in me hoc anno devoluti atque adhuc duraturi usque ad sequentis anni solstitium aestivum: Vides

quam parum temporis suppelat vacandi meditationibus mathematicis. Gratias ago pro prompta missione ad Cl. Goldbachium mearum correctionum ad retroactionem fluidorum spectantium, optarem autem nunc eas nondum fuisse missas; inest enim adhuc aliquid ad quod non attenderam, rogo igitur ut, quam primum licuerit Petropolin scribere, cures supprimi illas correctiones una cum toto capite de retroactionibus aquarum fluentium; omittantur ergo §§ 26, 27, 28, 29, 30, 31 ut et dua subjuncta corollaria: quo facto mutandi sunt numeri §§ sequentium 32, 33, 34 etc. in 26, 27, 28 etc. ad finem usque totius scripti; Erit itaque circa finem dissertationis in scholio 5. citatio (§ 61) mutanda in (§ 55). Mirari non debes meam inconstantiam in tractatione hujus materiae, eam enim operi meo hydraulico interpolaveram longo tempore post descriptionis finem, cum fere oblitteratum esset theoriae fundamentum in memoria mea, praeterquam quod non multum affinitatis habeat cum corpore hydraulico. Interim spero, si tranquilliori otio frui dabitur, me dissipatis obscuritatis nebulis omnia ad amussim pervestigaturum; et tunc quod invenero conjecturus sum in singulare schediasma sub forma supplementi: ita ut nihil referat sive separatim imprimatur, sive conjunctim cum ipso scripto hydraulico, si hoc forte nondum fuerit impressum.

Gratulor Tibi, Vir Exc., de egregio et vere Regio salario 2400 flor. quod Rex potentissimus meritis Tuis assignavit, sed et imprimis gratulor favorem et gratiam qua usque adeo flagras apud Clementissimum Principem ut Hic inter medios belli strepitus ad Te litteras propria manu exarare non fuerit dedignatus*). Fateor profecto mirabundus insolitas esse vir-

*) Cette lettre est la première dans une collection de 57 lettres autographes.

tutes tanti Herois, qui cum incredibili fortitudine bellica conjungit pariter incredibilem in scientias et artes propensionem; ô si talis Princeps esset immortalis in corpore, sicut immortalis erit ejus gloria, atque ab Illo rerum gestarum porroque gerendarum memoria ad finem mundi celebranda! Tam belle, tam graphice mihi depingis felicitatem qua frui-turus essem; si exemplo Tuo locum dare vellem invitationi Regiae ad acceptandam stationem Berolinensem, ut fere mihi saliva moveatur et appetitus tentandi fortunam tam illecebrosam; sed reprimitur impetus statim ac cogito de innumeris impedimentis insuperabilibus, quae ipsemet melius intelliges ad rerum mearum statum attendens quam si vellem longa seria Tibi enarrare: Vel sola mea grandaeva senectus, tot undique infirmitatibus quas nosti infestata, spem omnem adimit commutandi clima nostrum cum alieno; fortassis ne itineris quidem satis longi molestiam perferre possem, quin in ipso durante itinere defatigatus succumbens in mortis praedam cederem. Nec est quod me excitare velis exemplo venerabilis senis De Vignola, annum jam agentis nonagesimum tertium; non enim cuivis homini hanc aetatis Corinthum adire contingit; et cum iste Vir fortunatus vix ulla sentiat, ut ipse dicis, senectutis incommoda, annon vigore junior

de Frédéric-le-Grand à Euler, collection qui se conserve aux archives de l'Académie. La voici:

„Monsieur Euler, J'ai été bien aise d'apprendre que vous êtes content de votre sort et établissement présent. J'ai donné les ordres nécessaires au grand Directoire pour la pension de 1600 écus que Je vous ai accordée. S'il y a encore quelque chose dont vous aurez besoin, vous n'avez qu'à attendre mon retour à Berlin. Je suis

Au camp de Reichenbach
ce 4 Sept. 1741.

Votre bien affectionné Roy
FÉDÉRIC.

est censendus quam ego, etsi sit annosior aetate? Interim si adhuc idoneus judicarer ad praestandum aliquid in re mathematica et physica, sed ita ut liceat in Patria manere et per commercium litterarium meditationes et inventa mea cum illustri vestra Academia communicare, promitterem certe pro modico subsidio annuo omnem meam operam in id unice collocandam ut inservirem pro viribus splendori Academiae vestrae procurando et promovendo, idque ut efficacius exequi possem, valedicerem omnibus aliis meis laboribus, imo quod plus est resignarem professionem meam Basileensem, non alium in finem, quam ut omne meum tempus vestris Musis consècrare possem. Videbis, Vir Celeb., an tale aliquid pro me fieri possit, sicuti aliis in locis fieri solet, vel in ipsa quam deseruisti Academia Petropolitana, ubi absentes quoque viri quidam gaudent honorariis annuis, ut Wolfius, Bulffingerus, Filius meus, olimque Hermannus, et nunc haud dubie Tu etiam, qui prae caeteris hac gratificatione dignus es.

Gratias ago pro communicatione meditationum Tuarum circa aequationem differentialem cujusvis gradus:

$$0 = y + \frac{ady}{dx} + \frac{bddy}{dx^2} + \frac{cd^3y}{dx^3} + \text{etc.}$$

spirant omnia profundissimam ingenii Tui sagacitatem, sed doleo quod nunc non liceat singula satis attente examinare, ob negotiorum quotidie denovo mihi succrescentium multitudinem. Quæris quæ sint illa negotia? dicam; sunt illa quæ solet facessere munus rectoris Academiae nostræ, quod pronuper in humeros meos devolutum est, quodque adhuc durabit usque ad solstitium aestivum anni sequentis; haud facile credideris, quantum molestiæ ea de re singulis diebus mihi devorandum sit: vix una peracta est scena, cum ecce alia oboritur ludenda, non grata, non jucunda, sed fastidii

plena, temporisque mei vorax et furax. Dum haec scribo, audio pulsari fores; sunt sine dubio quidam rabulae in jus vocantes reos suos; iturus ergo sum ad dirimendas liticulas, parvi saepissime momenti. Vale, Vir Amicissime, et me quod facis amore reciproco amplectere. d. 28. Octob. 1741.

Vide quam mihi labilis sit memoria: Priorem hujus epistolae paginam heri sub vesperam scripsi, alteram hodie mane scribens repetii ex oblivione quod jam scriptum erat de molesto rectoratus munere.